# DE OPERE DEI CREATIONIS SEV DE MVNDO.

Hypotheses

*ORTHODOXÆ QVANtumuis Paradoxæ: continentes ſumma ſummarum artium principia, Phyſices, Chymiæ, Medicinæ, Aſtronomiæ, Aſtrologiæ, Metaphyſices: nec non præcipua fundamenta Philoſophiæ & veteris & nouæ.*

*AVCTORE*

HELISÆO RÖSLIN MEDICO
& Phyſico Haganoæ Alſatiæ.

FRANCOFVRTI,
*Apud hæredes Andreæ Wecheli, Claudium Marnium, & Joannem Aubrium.*
M. D. XCVII.

# SIGNACVLVM MVNDI PITHAGORICVM.

# REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. ERNESTO DEI

gratia Archiepiſcopo Coloniensi, Sacri Rom. Imperij Principi Electori, & per Italiam Archi Cancellario: Episcopo Leodiensi, Administratori Monasteriensi, Hildesheimensi & Frisingensi: Principi in Stabel: Comiti Palatino Rheni: superioris & inferioris Bauariæ, VVestphaliæ, Angariæ & Bullonis Duci: Marchioni Franchimontis &c. Domino suo Clementissimo.

*Fecerunt nostro tempore, Reuerendissime atque Serenissime Princeps, prodigia illa in Cassiopeia Stella noua, & intra viginti annos Cometæ aliquot, prodigia summa, in summo æthere, nõ sublunari elementari regione obseruata: vt deinceps doctrina Meteorologica antiqua tota, nõ solum mihi suspecta reddita: sed de reliquis etiam Philosophiæ naturalis partibus & artibus dubitare cœperim, num veris στοιχείοις & Elementis, atq; principijs sufficientibus suffultæ fundatæq; sint.*

*Quod verò prodigia illa in ætherea regione, non inferiori elemẽtari constiterint: solidissimis & firmissimis argumentis & rationibus demonstrarunt scriptis suis, ex variis orbis terrarum partibus docti multi & varij: Exteri quidem, Tycho Brahe nobilis Danus. Iohannes Dee Londensis Anglus, Guilhelmus Postellus Gallus, Hieronymus Monutius Hispanus: Domestici verò & Germani, Cornelius Gẽma Frisius, Michaël Mæstlinus VVirtẽbergicus, Christophorus Rothmannus Landgrauij Hassiæ Mathematicus, & Thaddæus Hagecius Aulæ Cæsareæ Maiestatis Medicus. De principiis verò artium naturalium dubitandi mihi occasionem dederunt, vltra Theophrastum Paracelsum Germanum, Iohannes Fernelius Ambianus Medicus Gallus, & Petrus Seuerinus, Regis Daniæ Medicus & Philosophus præstantissimus*

in Idea sua Medicinæ Philosophicæ, Anno 1571. Basileæ impressa & edita. Illi omnes, inquam, iudiciis suis & scriptis doctissimis effecerũt, vt de rebus omnibus tum astronomicis & Meteorologicis, tum Physicis & Medicis, & illarum principiis & fontibus cogitare cœperim studiosius, scrutari diligentius, & rimari omnia, mentecq; mecum volvere & retinere. Ab eo verò tempore, Serenissime Princeps, quo ante quadrienniũ ad Celsitudinem tuam vocatus, ego accessi, & inter colloquendũ audiui, te de variis rebus disserẽtẽ, Philosophiæ penetralia intima aperientẽ, thesauros abscõditos expromẽtẽ, multa naturæ mysteria explicantẽ (quæ omnia demũ ante discessum etiã scriptis concepta, mihiq; tradita & relicta fuerũt) cœpi ego deinceps inter ruminãdum adhuc intentius ista reuoluere, accuratius mecũ & altius perpendere, & tandem in theses quasdam, & summa capita etiam animi mei sensa conscribere. In quibus sanè, etiamsi multæ contineantur, quæ cum vulgari sententia Philosophorum & communiter recepta pugnare videantur: non tamen hoc animo propono, vt veterum artifices Aristotelem, Galenum, Ptolomæum in Physicis, Medicis, Astronomicis explodere velim, vel contemnere (siquidem & ego studiorum meorum rudimenta illis accepta referam) Sed cum diuturnitate temporum compertum sit, illorum placita & hypothesium quasdam non modo non sufficientes, sed nonnunquam secum etiam absurditates trahere: mouit hoc posteriorum temporum nonnullos, vt defectionem meditarentur, & contra illos insurgerent, Nicolaus quidem Copernicus contra Ptolomæum, Theophrastus verò Paracelsus contra Galenum & Aristotelem, & contra eundem deinceps Petrus Ramus in artibus scilicet Philosophicis, eo ipso tempore, quo in sacris & religione multæ cõtentiones per Europam ortæ, & in Asia Thechelles quidam contra Machometicam sectam surrexit. Mirum sanè seculum hoc nostrum & magnarum rerum prægnans. Cùm verò ne sic quidem rebus vndique satisfactum sit, sed omnia adhuc plena sint contentionum, laborum & difficultatum (de nouo accedentibus, in Astronomicis quidem & Physicis, Raymaro Vrso Dietmarso absurditatibus nouis: in Chymicis verò Medicis & Philosophicis, multis spuriis & adulterinis, tum Theophrasteis, tum Aristoteleis) Ego sanè ex istis difficultatibus & labyrinthis

byrinthis & pseudophilosophorum turba pro mea tenuitate, sic me expediui, vt subsequentes theses exhibent: media scilicet via incedens, vetera non planè abiiciens, nec noua temerè arripiens: sed ad Mosaicam Musam omnia referens, ad antiquissimam scilicet & constantissimam, vt quid vtrinq; verè dictum sit, accipiam: reiectis vndiq; & procul abiectis falsis, siue veteribus, siue nouis. Si verò alicui nec ista satisfecerint (quis enim omnia vel ad amussim reuocare, vel acu tangere posset) sed antiqua omnia mordicus retinere quis & defendere voluerit, vel in locum nouorum alia substituere alius maluerit, per me sanè licet, & in illorum etiam concedam sententiam, si firmis illud rationibus fecerint. Siquidem omnimodo discere cupiam, non contendere: cùm muliercularũ hoc sit, illud doctorũ etiã virorũ. Et vtrinq; certè contenti erimus & conueniemus optimè, si persuasum nobis sit, Librum magnum Mundi euoluentibus, seu opus Crationis Dei & naturam rerum perueſtigantibus, nunquam finem extremum dari posse: sed restare semper, quæ inquiramus & perdiscamus. Isto igitur scopo theses istas proponere volui, vt & ego illorum vnus sim, qui opera Dei inquirere velit & arripere, admirari, celebrare. Quia vero vt has primo conscriberem, Serenissime Princeps, occasio mihi data & stimulus additus ex colloquio illo tuo longe doctissimo mihique auditu iucundissimo; vt vero ederem, doctissimi quidam, mihiq; amicissimi viri, literis non solum stimularunt, sed aliarum etiam nationum & prouinciarum doctos idem argumenti genus tractare, & iam euulgasse, accepi. Inter quos ex peregrinis quidem sunt Teupolus, Pursius, Tilesius, Itali: Frãciscus Patritius Dalmata, & eius generis scripta etiam alia, vt Fl. Cygneri cuiusdam in Medicina hypotheses, & Donnij Consentini de Natura hominis, & Cornelij Gemmæ Frisij Cyclognomica: Ex Germaniæ vero partibus Saxonicis vel præcipuus omnium Iessenius est à Iessen, in Zoroastre suo nuper edito: Qui omnes etiam suarum prouinciarum & regnorum regibus & principibus sua dedicarunt. Ne igitur in Germaniæ superiori parte, quæ inter Danubium & Rhenum ad Nicrum fluuios celeberrimos posita est amœnissima & fertilissima regio, deessent, qui idem possent & facerent: Ideo Germanus ego in istis partibus natus & educatus inter doctos quidem mini-

*mus omniũ & obscurus & abiectus, ob id tamẽ non cedere, sed contra audentior ire & prodire volui, & pro meo modulo & à Deo mihi dato talẽto etiã mea offerre, & Cel. Tuæ dedicare: quod in Germania tũ superiori ad Danubiũ, tum ad Rhenũ & Mosam inferiori, principes partes teneas, easq; summas cũ summis opibus & bonis amplissimis. Insuper cum inter Magnates & viros principes, Serenissime Princeps, nullus nunc sit, quite vnico acutius iudicare & melius talia intelligere possit: Cum diuino planè sis ingenio & iudicio acerrimo, accesserit que studiũ rerum arcanarũ ardens, & cognitio scientiarũ illarũ perfecta, ad quas theses istæ meæ saltẽ aspirant, & prima fundamenta tradunt: Ideo vel hoc nomine sub Serenissimo tuo nomine edere volui, vt haberent defensorem & patronũ simul & potentẽ simul & intelligentẽ: nõ dubitans, ea te serenitate vultus & animi prõptitudine, qua anzea erga me fuisti & erga studia bonarũ artiũ esse soles, etiã hæc mea accepturũ, & in bonã partem interprætaturũ: Præsertim cum vlterius non expetam vel consilium vel auxilium, quàm veritas postulat & requirit, vt illa tandẽ vincat & superior euadat: pereat aũt omnis sophistica deceptio & inanis Philosophia. Paradoxæ quidẽ theses vt plurimũ sunt, breuiores & obscuriores: Longiore tamen explicatione nũc supersedendũ censui, ne vel distraherẽ legẽtiũ animos, vel ad has quasi astringerẽ: sed liberum potius cuique facerẽ, de his rebus Philosophicis liberè cogitandi & iudicandi: Copiosiorẽ aliquãdo explicationẽ cũ confirmatione & refutatione vel priuatim Cel: Tuæ cõmunicaturus vel publicè etiam editurus, si opus fuerit & res ita postulare videbitur. Quod si lucubrationum mearum rudimenta hæc Cel. Tuæ placuisse sensero, & gratiam me nactum videro & patrocinium, maiora aliquando dabo, opus scilicet, Serenissimo tuo nomine dignum, quod per multos nunc annos de temporum ratione adorno Chronologicum. Hoc enim vt magnum & amplissimum, ampliores etiam sumptus quàm ego ferendo sim, requirit. In eo verò studio scio ego, qui difficultatem negocij expertus sum, & affirmare etiam ausim, neminem adhuc existere, nec fore etiam, qui scrupulos illos & nodos, qui in ista materia adhuc restant, soluere, & opus ad finem perducere possit: Cum sciam etiam, nullum esse nec futurum facile, qui operam hanc impendet &*

*det & labores tantos sustinebit, quantos requirit opus, & ego nunc per multos annos impendi & sustinui. Cũ verò opus hoc tum ad sacrarum literarum lectionem & intellectum sit necessarium, tum ad prophanarum historiarum cognitionem variam commodum, & sic Magnatibus & principibus viris scitu dignum, & toti orbi Christiano summè vtile, exoptatum & gratum: summam etiam gratiam & nunquam intermorituram laudem iniret Cel: Tua, si patrocinium illius susciperet, & pro clementia sua & magnificentia promoueret: vt aliquando ad optatum finem perduci, & in lucem prodire fœlicibus auibus posset. Quod vt faciat Cel. Tua. & ad tantos conatus mihi opem ferat, & me sibi commendatum habeat, humilimè oro & obsecro. De Deo Op. Max: promereberis proculdubio, Serenissime Princeps, vt in communem Reipub. Christianæ vtilitatem, & studiorum bonorum gratiam quam diutissimè in viuis conserueris, & valeas quàm optimè. Ex Hagenoa Alsatiæ 24. die Augusti. Anni 1595.*

Cels. Tuæ
humilimus

Helisæus Roslin
Medicus &c.

*PANDVLPHI LEMII IVRE-*
*consulti,*
ad

# HELISAEVM ROSLIN MEDICVM ET ASTRONOMVM CARMEN EXTEMPORANEUM, opusculi huius Elenchum continens.

*QVod sit imago Dei Mundus: quibus orbibus orbes*
*Æternum glomeret conuexi machina cœli:*
*Quique Plantearum cursus: reuolutio quænam*
*Hos rotet: euentus qui Chasmata dira sequantur:*
*Qua ratione DEVS cœli distinxerit orbem:*
*Auricomumque globum & Lunæ variabile lumen,*
*Æthereasq; faces, stellanti affixerit axi:*
*Syderibus quæ vis: vt quòdq; oriturq; caditq;:*
*Qua Stellæ statione Poli: qua parte volucres*
*Æeriæ per inane volent: qua parte Cometes:*
*Quid Chymicis tribuat rebus vitamq; Animamq;:*
*Quid valeat tinctura potens Sal, Sulphur & Hermes,*
*Principia hæc quod sint, quid sint Elementaq; rerum:*
*Vnde tot eueniant miseris contagia morbi:*
*Omnia multiplici & solida liber iste ROSELLI*
*Cognitione docet, veterum nucleando tenebras.*
*Ergò agè Lector ouans optatis vtere scriptis,*
*Pectore sume rosas grato, cape dona periti*
*Astronomi, cuius celebris, quia fama per orbem*
*Sparsa nequit mundo claudi, nunc pulsat olympum.*

Idem in repentinam authoris metamorphosin.

*Hanouiæ nuper Comitis ditione pererrans*
*Amphiaraüs eras, æra vetusta cauans.*
*Nunc vbi telluris te cœpit orexis & antri,*
*Alter vt Alcides protinus astrapetis.*

# AD VIRVM CLARISSIMVM MEDIEVM ATQVE ASTRONOMVM PERITISSIMUM D. D. Holisæum Roslin, Physicum Haganoensem.

*NE pereat mundus, nondum sat cognitus vlli,*
*Corruat aut nutans machina magna Dei:*
*Sydereus vates Heliconis vertice doctus*
*Admonet, atq; simul clariùs hîc aperit,*
*Quis ortus, finis, rerum quæ fulcra fuêre:*
*Ne careat mundus cognitione sui.*
*Quin age, sic reliquos propriosq; ostende labores:*
*Longè expectatum splendidum opus chronicum.*
*Præmia digna feres, Rosæ qui nomine gaudes:*
*Sic tibi, sicq; tuis, surget honore Rosa.*

Leonhardus Doldius Haganoensis D.

# DE OPERE DEI CREATIONIS SEV DE MVNDO HYPOTHESES.

## I.

*Mundus quid:*

MVNDVS est Systema, compages seu comprehensio rerum omnium naturalium, in principio sex diebus à DEO vnitrino ex nihilo creatarum, & in finẽ vsq; certo ordine propagandarũ: vtex visibilibus & naturalibus inuisibilia & supernaturalia aliquomodo cognoscantur, ex typo scilicet & creatura Archetypus & creator, & ipse operis sui, DEVS celebretur, Rom. 1. 3. 8.

## II.

*Corpora mundana*

Ipseque mundus seu totum naturæ Systema distinguitur in simplicia, & ex simplicibus cõposita corpora: quę omnia corpora mundana dicuntur seu naturalia.

## III.

*Simplicia*

*Composita*

Simplicia sunt, quæ ex aliis prioribus seorsim existentibus, non sunt: sed ex ipsis omnia, & in ea omnia. Composita sunt, quæ tùm ex simplicibus sunt: tùm in simplicia posita sunt.

## IIII.

Simplicium alia Elementa sunt: alia principia.

## V.

*Elementa*

*Materialia*

*Formale*

Elementa sunt, ex quibus non solùm res sunt: sed in quæ etiam alia omnia, vt in receptacula, reposita sunt. Et hęc duplicia sunt: Materialia, quæ se in composito passiuè potius habent, & non tàm de esse, quàm de benè esse sunt: & horum tria sunt, Terra, Aqua, Aër, inferiora scil. Elementa: & vnum formale seu essentiale, Cœlum seu Æther superius Elementum. Tot enim sunt rerum receptacula: & in cœlum etiam stellæ positæ sunt: quo nomine elementi nomen meretur, τὸ ἀιθέριον στοιχεῖον etiam Aristoteles appellat.

VI.

VI.

Sed quod principem locum obtineat Cœlum, vt non solum in Magno Mundo actiones ab eo ortum habeant, seu actionũ in his inferioribus causa sit, & instar parentis & οὐσίας se habeat: sed in Microcosmo etiam & qualibet re composita, forma & essentia ab æthere & ætherea sit: Ideo cœlum Principium etiam & formale Elementum est, seu essentiale. Nam tota essentia differt cœlum à reliquis Elementis, vt Aristoteles rectè statuit. *Cœlum est quasi Anima Mundi.*

VII.

Et hæc ad sensus etiã exteriores se se offerunt quatuor in Mundo rerũ magna receptacula: In resolutione verò chimica tria inferiora Elementa se exhibent in aëre exhalante: aqueo humore destillante: terreo fæculento residente. *Elementa*

VIII.

Quæ verò amplius se per ignem offerunt in 1. spirituosa tenui substantia: 2. oleaginea pingui: 3. concreta salsa: Mercurius à chimicis vocantur, Sulphur & Sal: tria videlicet rerum naturalium Principia: quæ de esse rei sunt, & actiue se habent, à quibus in composito vires & facultates rerum sunt. *Principia.*

IX.

Ob quam causam Principia ætherea sunt, formalia & substantifica: Elementa inferiora materialia: Forma verò cuiuslibet rei ipsa essentia rei est & οὐσία, quę dat esse rei.

X.

Ignem verò quartum Elementum in Macrocosmo alium non agnoscimus, quam Cœlum seu Ætherem, ab αἴθειν ardẽdo, fulgendo vel lucendo sic dictum, vt Anaxagoras voluit: Igitur cœlũ quarta potius essentia dicenda erit, quàm quinta: cum in Tetractide seu Quarternario & prima Pyramide (ignis vel ætheris signaculo) omnium rerum οὐσία & essentia consistat: vt secretioris philosophiæ Cabalistæ loquuntur. *Ignis Cœlũ* *Quaternarius primus pyramidalis numerus.*

XI.

Vt vnitas οὐσίας seu essentiæ sit, in tribus veluti hypostasib. non minus in natura & rerum vniversitate, quàm in Diuinitate. Mundus enim sensibilis factus ad similitudinem & exemplar Mundi intellectualis Archetypi & Ideæ Mentis diuinę.

XII.

Quare etiam in Microcosmo, seu qualibet re composita, sese offerunt tria principia formalia & hypostatica quasi, Mercurius, Sulphur & Sal: Quæ quia ætherea sunt, ideo à Chimicis de Quinta essentia, sed nobis de Quarta esse rectius dicuntur.

*Mercurius Sulphur Sal.*

XIII.

Hæc tria autem, vt à Chimicis, propter analogiam quandam sic dicuntur: eadem ratione ab Hermete illo Trismegisto, Philosophorum antiquissimo, Corpus, Anima & Spiritus dicta fuerunt: Sal scilicet per Corpus designatum: Sulphur per Animam: Mercurius autem Spiritus est & spirituosa substantia. Nam vt duo extrema & remotissima, Corpus & Spiritus, per vnum medium Animam scil. in vnam rem subsistentem coniunguntur: ita Sal & Mercurius per medium Sulphur.

*Spiritus Anima Corpus*

XIIII.

Quem verò in his inferioribus Elementis materiatum ignem vocant Aristotelici, in aliena materia existentem: hunc ego in propria existere affirmo, sibiq; analoga: ignēq; ipsum inferiorem superiori & æthereo analogum dico.

*Ignis materialis.*

XV.

Principia igitur in re composita illa sunt, ex quibus (& nō ex crasi Elementorum) prodeunt actionum principia, facultatum causę & proprietates: vt nulla constans proprietas vllius corporis sit, quæ non vel in Sale, vel Sulphure, vel Mercurio eius-

*Principia*

rio eiusdem corporis deprehendatur. Elementa autem ful- *Elementa.*
cra rerum sunt seu substentacula, glutina & vehicula &c.
quibus res suffulciuntur, & cohęrent, & benè habent. Essen- *Essentia*
tia verò cuiuslibet rei ex Æthere est & de Cœlo, & per Cœ-
lum etiam exterius fouetur & excitatur: vt potentiæ seu fa-
cultates internæ se in actum prodant, & operibus varijs se pa-
tefaciant.

XVI.

Tria autem in genere summa rerum Receptacula sunt,
in quæ res omnes creatas Deus posuit. Primum Mundi infe-
rioris Elementaris est ex Terra, Aqua & Aëre, qui Cœlum *1. ὁ ἀὴρ*
etiam in Sacra Scriptura multoties dicitur. Alterum cœlum *2. ὁ αἰθὴρ*
Mundi Ætherei stellati est. Tertium Cœlum Mundi angeli- *3. ὁ αἰὼν*
ci supra hæc omnia est, à Diuo Paulo sic nominatum, cum in *Tertium*
tertium Cœlum se raptum fuisse dicit. 2. Cor. 12. *Cœlum*

XVII.

Et hæc temporibus ita distinguuntur, vt tertium ab æter-
no sit, extra omne tempus, ante principia rerum: Secundum *Cœlum*
verò Æthereum, primo die Creationis cum Luce absolutũ
fuit, & Lucidum cœlum est: Primum autem cœlum Aër scil. *Æther*
secũdo die perfectũ & sub nomine Firmamenti, Expansi seu *Aër*
Liquidi nobis à Mose offertur: Aqua verò & absoluta terra,
tertio die à se inuicem distincta & absoluta sunt, cũ in princi-
pio omnia erant Chaos sibi in vicem permixta. Et hæc sim-
plicia sunt.

XVIII.

Compositorũ autẽ & rerũ in Receptacula iam dicta po- *Composita*
sitarum, tria summa genera sunt. Alia enim sunt Mineralia:
Alia Animalia: Alia Vegetabilia, & his analoga. Quodlibet
vero horum trium in tres quasi species subdiuiditur. Mine- *Mineralia*
ralium enim tria sunt: Metalla, Succi, Lapides. Animalium *Animalia*
tria: Terrestria, Aquatilia, Volatilia. Vegetabilia verò vt sunt *Vegetabilia*
inferioris Mundi Elementaris: ita Stellæ Ætherei: & Ange- *Stellæ*
lici Mundi Angeli existunt: Vt ex ter tribus omnium com- *Angeli*

positarum & creatarum rerum species constent.

XIX.

Harum rerum autem rationem tibi ostendit & ob oculos ponit senarius numerus, primus scil. perfectus numerus: quo nomine à Pythagora Signaculũ Mundi dictus: quod in plano positus, & in triangula resolutus, comprehendat, & Mundi Elementa vniuersalia & principia, & ipsam οὐσίαν & essentiam rerum: & compositorum omnium genera & species. Vt ab initio prima statim pagina, posita figura tibi demonstrauit.

*Signaculũ Mundi Pithagoricum*

XX.

Quemadmodum autem Deus terram plantis ornauit, & cœlum stellis: Ita Meteora in aëre non minus potentiam Dei celebrare, Psalmus 149. testatur. Et hæc fructus quasi cœli sunt vt Mannæ etiam & roris multæ species, Mineralibus succis scil. respondentes: Sicuti etiam Lapides superius generatos, & exinde sępius decidisse ex historijs constat & experientia.

*Meteora*

XXI.

In eo verò discrepant à se invicem creata: quod quæ sunt inferioris Mundi, ex Elementis non minus contrarijs & materiatis quàm ex principijs formalibus composita, in Elemẽta etiã materialia posita sint: & ob id generationi & corruptioni obnoxia omnia in inferiori Elemẽtari Mundo. Stellæ verò ex solis principijs, ijsque purissimis, & ab omni materia elementorum alienæ, in Elementum essentiale positæ sunt: Ideo perpetua indiuiduorum conseruatio, & nulli corruptioni obnoxiæ Stellæ in Mundo Aethereo. Angeli autem neque ex principijs, neque ex Elementis, sed puræ Mentes & Spiritus sunt: ideo immortalitati & æternitati destinati.

*Inferiora*

*Stellæ*

*Angeli*

XXII.

Meteororum verò generatio imperfecta est, & quasi momenta-

*Meteora*

mentanea, nec longius ab Elementorum natura recesserũt: Ideo in Elementa facilè etiam soluuntur, & interitui mox obnoxia sunt.

Metallorum verò generatio contrario se modo habet, perfectissima enim est præsertim Auri, & non nisi longo tempore facta: Ideo etiam difficillime, nec non nisi longo tempore, & ne vix quidem resoluuntur. *Metallæ*

XXIII.

Stellas verò ex Principijs tribus esse, analogia Metallorũ, præsertim auri omnium perfectissimi, & lapidum præciosorum te docere potest: quæ omnia quò magis ex Principijs purioribus sunt, & quò minus Elementorum habent, eò prestantiorum virium sunt, & eò difficilius corrumpũtur: Adeò vt Aurum etiam omnem vim ignis respuat. Stellæ igitur cũ perpetuæ sint, nec corruptioni obnoxiæ: Ideo ex Principijs purissimis sunt, & maximarum præ cæteris rebus virium. *Stellæ*

XXIIII.

Cœlum tamen & ætherea corpora non esse omninò inalterabilia, Cometæ nostro emtpore in Æthere, à doctissimis & peritissimis artificibus obseruati conuincunt, & quod contra orbium Planetarum mutentur, & plures aliæ etiam rationes afferri possunt. Quare Cometas ob id in secundum stellarum numerum admittendos censemus. *Cometæ* *Stellæ secundæ*

XXV.

Stellas autem in æthere non hinc inde vagari, vt aues in aëre, sed vel sua quadam & insita diuinitus scientia duci, vel certis orbibus moueri, constans illorum motus arguit. *Stellarum motus*

XXVI.

Plures verò in cœlo Orbes Vniuersales, vel plures Sphæras non agnoscimus: quàm quot Deus & natura, corporibus & globis signauit, & visibilis reddidit: nouẽ scilicet: vt Sphęram Stellarum fixarum, Octauam dictam: Septem Sphæras planetarum: & si addere libet, nonam, terræ scilicet. Nam *Sphæræ Vniuersales.*

aër qui

aër qui terræ & aquæ globum vndique comprehendit, etiam cœlum in Sacra Scriptura dicitur.

XXVII.

*Plures Sphæras non esse.*

Ideo quæ posuerũt veteres de Sphæra nona, decima quã primum mobile dixerũt, de Sphęra vndecima, cœlo Empyreo, Christallino Aqueo: omnia vana iudico figmenta & somnia: non minus ac ignem Elementarem inter aërem & ætherem esse, & cœlũ igneum vel Olympium dici.

XXVIII.

*Sphæra primũ mobile*

Vt verò Deus Creator essentiæ infinitæ est: Ita omnes creaturæ & res ab eo creatæ, finitæ sunt: Et totum vniuersum supremo Cœlo Stellarum finitum & conclusum. Hinc etiam cœlum latinis dictum, quod cælet, compræhendat & intra se contineat omnia. Et hac ratione Sphæra octaua Stellarum fixarum nobis Primum mobile erit.

XXIX.

*Infinitum nullum in Natura.*

Si ergo infinitas Ætheris non est, formalis quasi Elementi: multò minus aëris materialis Elementi infinitas erit: vt eius etiam certa proportio in quantitate ad terram & aquam sit, non minus, vt certa analogia & ratio in qualitate.

XXX.

*Elementorũ qualitates*

In qualitate verò hæc differentia Elementorum existit; vt differant à se invicem passiuis qualitatibus, siccitate & humiditate: & alijs qualitatibus, quæ harum quasi sunt propagines & soboles: vt raritate, liquiditate, mollitie, densitate crassitie &c. Terra enim sicca est, densa, firma, stabilis; Aqua humida, mollis, fluida; Aër rarus, liquidus, permeabilis; tali ad se invicem proportione temperata omnia; vt quemadmodum Aër sua raritate & liquiditate se habet ad humiditatem & mollitiem Aquę; Sic Aqua sua humiditate & mollitie se habet ad siccitatem & densitatem Terræ, nec summè rara, nec summè densa; sed media quasi inter duo extrema.

*Elementorũ analogia.*

XXXI.

Eadem

Eadem ratione etiam analoga ſunt firmitas ſeu ſtabilitas terræ; fluiditas Aquæ; & permeabilitas Aëris; quæ illa eſt, qua omnibus animalibus facilis tranſitus permittitur, & aër reſpiratione hauritur: non ſecus, vt aqua mollitie & fluiditate nauibus & piſcibus tranſitum præbet: Terra verò firmitate ſua renititur, vt pedem figere, & in ea progredi tum repẽtia tum pedeſtria animalia poſſint.

XXXII.

Interdum tamen elementum in vicinum tranſit: vt aër aliquando rarior exiſtat, aliquãdo humidior fiat, vt in aquam etiam condenſetur: quemadmodum aqua ſæpius rareſcit, & in aërem reſoluitur: ſæpius autem terrei elementi aliquid admixtum habet. Medium enim elementum exiſtit inter duo extrema: & terra etiam humiditate diluitur. *Elementorum Geminãtas.*

XXXIII.

Quare cum duo extrema per vnum medium & tertium coniungantur; non neceſſe fuit Ariſtoteli fingere quartum elementum ignis, calidum videlicet & ſiccum; vt nec aëri caliditatem tribuere neceſſarium eſt; cum per accidens & calidus & frigidus eſſe poſſit. ita per accidens hæ eædem qualitates actiuæ reliquis duobus elementis Terræ & Aquæ, nõ per ſe inſunt; cum elementa ſe merè paſſiuè habeant, & ex ſua natura paſſiuis ſaltem qualitatibus prædita ſint.

XXXIV.

Principiis verò competunt actiuæ qualitates, quas cum in re compoſita ineſſe oportere, intellexiſſet Ariſtoteles, præſertim igneum illud & calidum, ideo de elemento igneo cogitandi illũ inuaſit opinio; & in elementis materiatis quæſiuit qualitates actiuas, quas in principiis formalibus quærere debuiſſet. *Actiuæ qualitates.*

XXXV.

Cœlum verò cum eſſentiale & formale elementum ſit, &

pater quasi respectu inferiorum elementorum; stellæ item cum ex purissimis principijs sint, & ab omni inferiorum elementorum materia separatæ, ideo cœlum etiam summum agens est, & astra summarum virium; quas in hæc inferiora & simplicia & composita corpora multifariam exercent.

*Cœlum & astra summa agentia.*

## XXXVI.

In hoc verò differunt ab inferioribus agentibus; quod cœlum agendo nihil patiatur. Ideo corpora cœlestia agentia καθ' ἐντελέχειαν rectè ab Aristotele dicuntur. Res verò inferiores ex principiis agendo vicissim etiam patiuntur; quod illis admixta sit elementorum materia.

## XXXVII.

Cœlum autem non id solummodo habet, vt hæc inferiora calefaciat; sed experimur frigus etiam inducere, adeò, vt tota elementa inferiora quasi constringantur. Ideo caliditas cœli non ex motu erit, vt Aristoteles voluit, alioquin cœlum semper calefaceret; sed vt Soli calor, ita Saturno frigus, & aliis stellis aliæ insunt qualitates; vt nihil non agat in hæc inferiora cœlum.

## XXXVIII.

Easdem verò in stellis actiones & qualitates à principiis esse, non à crasi elementorum; inferiora te docere possunt, in quibus non omnia tenuia spirituosa & sulphurea calida esse videmus; sed camphura quamuis spiritum habeat tenuissimum, vt in aquam etiam posita ardeat, & sæpius per se in auram euanescat; non tamen calida est, sed frigidam eam Arabes in tertio gradu posuerunt. Quare rerum vires non crasi elementorum æstimandæ tantùm, nec à raritate & densitate solum, sed ex principiis pendent in corporibus cœlestibus, ita etiam in his inferioribus; cùm hæc illis prorsus ana-

*Camphura.*

loga

loga ſint: & cauſæ mouentes ſuperiorum, effectibus inferiorum proportionatę.

XXXIX.

Quare rectè dicimus Solem & Martem calefacere & exſiccare: Iouem & Venerem cum moderato calore humectare: Lunam cum frigore humectare: Saturnum frigus inducere & exiccare: & alias in hæc inferiora qualitates exercere ſtellas etiam alias. Et hæc omnia ex natura principiorum ſuorum, ex quibus conſtant: & quod in æthereum elementũ poſitæ ſint.

XL.

Quare faceſſant illi tandem, qui omnia craſi elementorũ inferiorum, & qualitatibus ſecundis æſtimantes, nihil efficiunt placitis ſuis, quàm vt ipſi ſiniſtrè docentes, alios rectè diſcere cupientes in curſu impediant: vt ſic nunquam ad veritatis cognitionem perueniatur, vt Paulus inquit 2. Tim. 3. & diuites dimittantur inanes. Luc. 1. cap.

XLI.

Vt verò elementa in hoc inferiori mundo raritate & denſitate à ſe inuicem differunt: ita æthereum elementum cœlum ab illis differt luciditate: quæ propria eſt, & ex natura, & ſummè ineſt cœlo: quemadmodum remotiſſimo à cœlo elemento terræ ſumma denſitas & tenebricoſitas ineſt. Intermedia verò elementa, aqua & aër, vt in raritate & denſitate medio ſe modo habent: ita etiam à cœlo lucem accipiunt, & per abſentiam lucis omnia tenebreſcunt & obſcurantur. *Cœlum lucidum.*

XLII.

Ex quibus etiam illud concludere licet, priuationes & elementorum chaos, vt tenebras, inanitatem, abyſſum, inquietudinem, & quicquid cõfuſionis eſt, & ad corrumpendum deſtinatum, vt & ignẽ materiatũ & accidentalẽ, in terræ ſcil.

*Priuationes elementorũ.* visceribus sedem propriam habere: & exinde sæpius in superficiem & elementa, reclusis scilicet abyssis in perniciem erumpere: ijs verò conclusis terram etiam concuti & moueri, necesse est.

XLIII.

*Infernalis mundus.* Quare exinde etiam colligitur Mundum infernalem, impuris spiritibus, Diabolo & Angelis eius destinatum, in terræ visceribus & circa centrum esse: Vt mundum Angelicum puris mentibus, & electis Dei dicatum, remotissimum ab hoc spacium habere, & super hæc omnia esse, & ideo etiam supercœlestem dictum, ratio ipsa & sacra scriptura nos docet.

XLIV.

*Supercœlestis mũdus.* Supercœlestis verò mũdi, vt propria sunt infinitas (ἀοριστία) immutabilitas, immensitas, & æternitas seu æuum ὁ αἰὼν: ita

*Inferior elementalis.* ad inferiorem mundum elementarem propriè spectat tempus, motus & locus. Tempus enim mensura motus secundũ prius & posterius est: quæ huius mundi esse, supra ex definitione mundi colligitur: motus autem de loco in locum est.

XLV.

*De mundi systemate.* Elementa igitur inferiora cum differant à se inuicem gra-

*Elementorum motus.* uitate & leuitate: ideo illorum motus secundum rectam lineam est. Aërem igitur leuem sursum ferri, & supremum locum occupare necesse est. Terram grauem deorsum vergere, & in centro mundi immobilem consistere. Aqua verò media inter has qualitates medium etiã occupasset locum: nisi propter creatarum rerum vtilitatem, terra à Deo inæqualis montibus & aggeribus quasi facta, vallibus, fossis, & alueis aquæ locum præberet: vt terra cum aqua sic vnum quasi globum constituat.

XLVI.

Cœlum igitur omnia continens, quia tota essentia differt

fert ab inferiorib. Elemẽtis, nec graue nec leue exeſtens: igitur circulari motu in gyrũ moueri neceſſe eſt. Et ille motus ei omninò proprius eſt, & ſumma mobilitas illi à natura ineſt: vt remotiſsimo à Cælo Elemento Terræ ſcil; ſumma immobilitas per ſe ineſt. Ideo cœlũ Græcis ἀΐδιον ab ἀεὶ θεῖν ſemper currendo dictum voluit Ariſtoteles. *Circularis motus*

XLVII.

Intermedia verò Elemẽta Aër & Aqua ſæpius violẽto motu, vi Ventorũ & procellarum agitãtur; qui motus ex circulari & recto compoſitus eſt; Et Terram interdum etiam violẽter moueri contingit; & tales omnes motus per accidens ſunt. *Violentus motus.*

XLVIII.

In cœlo verò ratione motus ſic etiam cõparatum; vt quãuis vnius corporis ſimplicis, vnicus ſaltem & ſimplex motus per ſe ſit; plures tamen motus ei per accidens eſſe poſſint. *Axioma. Ariſtotelicũ de motu Cœli*

XLIX.

Quare Octaua Sphæra Stellarum fixarum motu proprio ſimplici, & per ſe fertur ab ortu in occaſum, & iterum in ortum ſuper centro, Axi & polis Mundi; & ſpacio 24. horarum ad idem punctum rediens diem naturalem, quam Nychtemeron vocant, facit. Hac verò diurna nocturnaque conuerſione omnes inferiores Sphæras Planetarum ſecum rapit ab ortu in occaſum; qui ſanè motus Planetis accidentalis eſt. *Aſtronomica. Octaua Sphæra primũ mobile.*

L.

Proprius aũt motus Planetarum eſt vt contrario motu ab occaſu ferantur in ortum; Sol & Luna ſuper centro Mundi; quinq; verò reliqui Planetæ ſuper Centro alio, Sole ſcilicet; quilibet Planetarum eò velocior proprio motu, quò à Sphæra octaua remotior exiſtit; & eò magis ſuo motu priori motui reniti poteſt. *Planetarũ motus.*

LI.

Quod vt fieri possit, & vt reniti planetæ possint: factum est, vt illorum motus proprius super alio axi & alijs polis fiat, sub zodiaco scilicet.

LII.

*Accidentalis. motus stellarum fixarum*

Hinc Stellis fixis etiam talionis quasi loco alius motus accidit, à Planetis scilicet: vt super axi & polis zodiaci ferantur contrario motu, ab ortu in occasum secundum ordinem signorum, tardissimo tamẽ motu: vt 49000 annis periodum vnam absoluant, secundum veteres: secundum Copernicum verò & recentiores breuiori tempore ille motus absoluitur, 28000. annorum spacio.

LIII.

*Planetarũ motus accidentalis.*

Et cum Sol centrum sit orbium quinq; Planetarum, Saturni, Iouis, Martis, Veneris, Mercurij: accidit insuper illis etiã iste motus, vt sol hos quinq; proprio motu suo secundum signorum progressum in consequentia secum rapiat: Venerem quidem & Mercurium in annuo spacio per totum zodiacũ: Saturnum verò Iouem & Martem per partem aliquam zodiaci. Vt secundum hunc motum annuum Solarem hi tres Planetæ Epicyclum quasi in Sphæra sua describant: secundũ quem nunc directi, nunc retrogradi, nunc veloces, nunc tardi, nunc stationarij, nũc in infima parte Sphæræ terræ proximi, nunc in suprema à terra remoti: quę passiones tamen Veneri & Mercurio ex motu proprio sunt, diuersa scil. ratione, quod Orbes horum duorum terram non ambiant, vt trium superiorum Planetatrum.

LIIII.

*Axiomata Physica.*

Et cum nullum in cœlo vacuum spacium cõcedatur: nulla etiam penetratio orbium, secundum physica principia, sequitur exinde Planetarum superiorum trium Sphęram tantam esse, quantus est totus Sphæræ Solis diameter. Tantum enim spacium requirit Epicyclus ille per annuum motum

Sol

Solis, vt centri ſuperiorum planetarum deſcriptus.

LV.

Qua ratione diſtantia Sphærarum ſuperiorum Planetarum vſque ad ſtellas fixas cognita erit: & ſic mirabiliter à Deo factum eſt vt vbi parallaxes deſinant, in ſole ſcilicet & Marte (cum eſt Acronichus ſeu terræ proximus) ſupra quos diſtantia reliquorum planetarum per inſtrumẽta capi non poteſt, exinde per aliam rationem explorare illam poſſimus, & ratiocinari, ex Diametro ſcilicet. Sphæræ Solis: vt cum opus creationis Dei viſibile extremo cœlo concluſum & finitum ſit, finis etiam ſciri poſſit, & nihil non cognitum Artifici & ſagaci Aſtronomo. *Definitum & certum ſpacium Sphærarum*

LVI.

Quod verò Sphæra octaua motu tertio, quem Neoterici trepidationis vocant, mouetur: ſecundum quem motum Æquinoctia & Solſtitia mutantur: Stellæ etiam inæqualem habent declinationem ab Æquatore, vt Sol etiam: non neceſſe eſt ob id fingere nouam Sphæram: ſed illam inæqualitatem ſtellis fixis vel exinde eſſe contingit, quod Cœlum trepidet & non ſit omninò inalterabile: vt ſupra accepimus. Vel ſi libet exparticularibus etiã orbibus vel Epicyclis Sphæræ octauæ, non minus vt in planetis hoc ſaluare poteris. *Motus, Trepidationis.*

LVII.

Et particulares orbes Planetarum eſſe vel eoſdẽ quos ponunt Artifices, vel his conformes (nec ſaltem imaginarios circulos) cometarum motus noſtro tẽpore conuincit; quod Cometa anni 1577. ſuper particulari orbe in Sphæra Veneris perpetuo progreſſus fuerit. Cometæ verò annorũ 1580. 1585. vel ſupra Solẽ etiã obſeruati fuerint; Stella deniq; anni 1572. in octaua Sphæra immota perpetuò conſtiterit. Ex quibus etiam illud concluditur, multò magis ſtellas infixas orbibus in Æthere circumvolui; nec in aëre hinc inde vagari. *Orbes particulares.* *Huic ſentẽtia Moeſtlini contradicit Tycho Brahe.* *Stella nonna*

LVIII.

Et hoc

*Cometarũ motu*

Et hoc fidem facit Cometas superiorum temporum malè ab Artificibus obseruatos fuisse; Sed cum motu diurno octauæ Sphærę (quæ nobis primum mobile) pleriq; vel omnes progressi fuerint; iudicandum illos in ætherea regione constitisse & proprium motum illorum, alium prorsus & diuersum esse à motibus Planetarum; vel ex particularibus Planetarum orbibus; vel ex insita sibi diuinitus scientia; secundum quam extra Zodiacum etiam in omnem partem cœli exspaciantur.

LVIIII.

*Aër supremus.*

Et quod Aër supremus motu diurno primi mobilis moueatur, & violenter cum Sphæris Planetarum circũagatur; à ratione prorsus alienum est. Cum cælum tota essentia differat ab Elementis inferioribus: quare inferiora rapidissimi illius motus capaces nullo modo esse possunt.

LX.

Non tamen à ratione alienum est, longius infra Lunam se extendere ætheream regionem: Cum opticis argumentis demonstrari possit, aërem eò vsque se non extendere, nec tam altum eius spacium esse, vt hactenus Physici posuerunt. & distinxerunt in supremam, mediam & infimam regionem.

LXI.

*Suprema regio Aëris.*

Quare quam hactenus supremam aëris regionẽ putarunt, ætherea potius erit, motu diurno mobilis: & cometarum illorum regio, qui altius Cœli spacium non occuparunt: vt nullum in natura vacuum spacium relinquatur.

LXII.

Mediam verò in qua nubes consistunt, & ex ijs pluuię, niues, grandines &c. generantur, supremam potius regionem aëris esse ex primo capite Genesis demonstrari potest: vbi Aëris sub nomine expansi vel Firmamenti mentionem facit Mo-

cit Moſes: & aquarum, ex nubibus ſcil. generatarum & pendularum, ſupra expanſum ſeu firmamentum: Aquis ſic & nubibus ſupremum locum Aëris tribuens. Aëra verò & Æthera communi vocabulo Sacra ſcriptura cœlum vocat & Firmamentum. *Cœlum & Firmamentum.*

LXIII.

Qua ratione tria compoſitorum genera cœlo competunt: vt Stellæ ſupremo Cœlo vel Ætheri: Meteora intermedio Cœlo, ſupremæ ſcil. regioni aëris & infimæ regioni Ætheris: volatilia verò infimo cœlo & Aëri. Hinc volatilia cæli in Sacra ſcriptura etiam dicta. *Compoſita Cœli*

LXIIII.

Tria etiam compoſitorum genera Aquæ competunt: vt Aquatilia animalia, & duo Mineralia, Metalla & Succi. Tria etiam terræ competunt: vt Plantæ ſeu vegetabilia: Lapides: Terreſtria animalia. Vt Deus omnia ſic certo ordine, & mutua quaſi recompenſatione creauerit. *Aquæ.* *Terræ.*

LXV.

Inter quæ ſic etiam comparatum eſt vt in quolibet genere, vnum ſit perfectius & difficilis reſolutionis. Vt in genere cœleſtium Stellæ: in genere terreſtrium, lapides precioſi: in genere aquatilium, Metalla. Aliud vero imperfectius, facilimæ reſolutionis, & breuis quaſi vitæ: vt in genere cœleſtium, Meteora: in genere terreſtrium Plantæ: in genere aquatilium, Succi. Media verò ratione ſe habent Animalia, & Cœleſtia, & Terreſtria, & Aquatilia.

LXVI.

Tria igitur in compoſitorum quolibet obſeruanda. 1. elementa materialia paſſiua: 2. principia formalia actiua: & 3. οὐσία ipſa & forma rei. Inter Principia tamen vnum, quod ad ætheris naturam propius accedat, Mercurius ſcilicet ſeu Spiritus: æthereum præ cæteris eſt & οὐσιῶδες, & οὐσίας ſeu formæ proximum inſtrumentum. *eſſentiæ*

LXVII.

*ὑσία essentia in qualibet re.*

Vt autem in Animatorum genere ὑσία & ἐντελέχεια Animæ est; ita in Mineralium genere simile quid existit, etiam Anima à Chimistis dicta. In vegetabilium genere facultas vegetatiua est, minus propriè vitalis à physicis dicta. Essentiam verò Astra etiam suam habent: eamq; adeo excellentem, vt Philosophorum plurimi illam animatam & intelligentem dixerint. In Meteoris omnia sunt obscura ratione ὑσίας & Principiorum, quod non longius ab Elementorum natura recesserint: qua ratione se contrario modo ab Astris habent.

LXVIII.

*ὑσιώδη Calor accidentalis.*

In principijs verò vnum maximè ὑσιῶδες esse, in Animatorum genere manifestum euadit: vbi geminus Calor existit, vnus scilicet igneus, quē Aristoteles elementarem dixit: & in humoribus præsertim bile flaua se ostendit. Sed accidentalis potius dicendus est: idque respectu alterius caloris, natiui scilicet, qui in Spiritibus se ostendit. Et Spiritus illi Mercurius sunt: ὑσιῶδες illud & æthereum: proximum instrumentum Animæ, non ipsa ὀυσία & Anima.

*Natiuus Calor.*

LXVIIII.

*Chimica*

Quæ igitur Chimici separant, & quæ post vltimam separationem relinquuntur, Principia saltem sunt & Elementa: non ipsa ὑσία seu Anima. ὑσιῶδες quidem illud & æthereum, Spiritus scilicet & Mercurius, ex Mineralibus & vegetabilibus haberi potest. In Animalibus verò subtilitate antecellit: vt non subijciatur actionibus Artificis, nec capi possit. Multò minus igitur ipsa ὀυσία & Anima in qualibet re comprehensibilis existit: ita vt in separatione euanescat prorsus. Inde Mors & mortificatio non nisi Animę à corpore existit separatio, & Corporis in Elementa & principia resolutio.

*Mors*

LXX.

*Axioma Chimicum*

Axioma igitur Chimicum est, quando aliquid redit in id, quod antea fuit (vt in resolutione Metallorum, quæ omnium

nium difficili ma eſt, ſępius accidit) ſignum illud eſſe, vltimã reſolutionem nondum factam, nec Animam à corpore ſeparatam. Quando autem non redigi poteſt aliquid in id, quod antea fuit, iam vltima reſolutio & mortificatio facta: & forma ſeparata ab Elementis & principijs: & vltimum ſcopum aſſecutus eſt Chimiſta.

## LXXI.

Scopus autem eſt, vt principia, in quibus omnium rerũ vires exiſtunt, ab Elemensis ſeparet, eaq; habeat puriſſima, nõ ipſam ὑσίαν ſeu formã & Animã ſeparatim cõprehendat (niſi inquatenus Sulphur per analogiã Anima dicitur: non tamen ipſa forma rei, ſed medium exprincipijs eſt) Quomodo igitur per eam ſe augmentare poſſe, vel nouas etiam ſpecies procreare, glorientur Chimiſtæ, illud ego non ſatis aſſequi poſſum. Imò ex ſuperioribus & ipſomet illorum Axiomate concludi arbitror, nullius id Artificis eſſe: ſed totum opus hoc Deum Naturæ reliquiſſe. Et cum ne Aërem quidem, Elementum illud materiale captare poſſint: in plurimis etiam nec ęthereum illud & ὑστῶδες, Spiritum ſcilicet ſeu Mercuriũ: Multò minus igitur ipſam rei ὑσίαν, ἐντελέχειαν ſeu formam ſeorſim conprehendent: quæ ratione potius ſeu mente, quàm ſenſibus capitur.

## LXXII.

Nunquam tamen negauero artis Chimicæ peritum, opera ſua & induſtria illud ad perfectionem maturatione ducere poſſe, quod imperfectum eſt, in ſe tamen habet Animam & potentiam, vt potentia ſe in actum ducat mediante calore ignis: ea ratione, qua Agricola cultura ſua id efficit, vt ſemẽ, quod in ſe habet virtutem ſementificam ſeu Animam, proiectum in agrum, mediante calore Solis creſcat & perficiatur, & de potentia ſic in actum ducatur.

## LXXIII.

LXXIII.

Et hac ratione Animam non omnino puram & ſeparatam habebit Chimiſta: ſed in Tinctura aliqua, quam vocant, conſiſtet: cuius proiectione non negauero illum vel augmẽtare, vel trãſmutare, vel nouam formam inducere poſſe. Imò affirmauero adhuc, & ex analogia trium ſummorum generum induxero: ſicut Animalia ſola natura conſtant: vegetabilia verò & natura & arte; ita in Mineralibus plurimũ artem valere, vt quod natura multis annorũ ſęculis in terrę cauernis vix abſoluit; id artẽ breuiori temporis ſpacio perficere poſſe.

*Tinctura.*

LXXIIII.

Quinque igitur in reſolutione ſe offerunt. primum æthereum illud corpus ὑγρῶδες ſpiritoſa ſubſtantia, Mercurius. ſecundò, Sulphureum quoddam corpus, ſeu oleaginea ſubſtantia, Sulphur dictum; quæ duo tantæ ſubtilitatis ſunt, vt ſi non benè reſeruentur, ſæpius euaneſcant in auram. tertium Sal quantumuis craſſius, virtutem tamen non obſcurum habet. quartum phlegma eſt & aqueum Elementum. quintum terreum Elemẽtum, caput mortuum dictum; quæ duo mortua ſunt, & nullarum virium.

*Mercurius*
*Sulphur*
*Sal.*
*Phlegma*
*Caput. mortuum.*

LXXV.

Aër verò tertium Elementum ſeorſim non capitur; ſed vel Mercurio, vel Sulphuri, vel Aquæ permixtus manet; vel euaneſcit prorſus. Sicuti etiam artis periti eo vſque laborare poſſunt, donec vi ignis & reliqua duo Elementa non ſeparẽtur modò, ſed etiam conſumantur & annihilentur; relictis ſaltem principijs tribus hypoſtaticis; quæ ſanè viuificationis, reſurrectionis & perfectionis indices ſunt, vt Elementa fragilitatis, corruptionis & mortificationis cauſa.

*Aër*
*Sal corpus quaſi nouũ*

LXXVI.

Inde numerus Elementorũ & Principiorum ſimul, vt ſe in reſolutione ad ſẽſum exhibet in quinario numero exiſtit.

Et ſi

Et ſi ſulphur, quod flammam concipit, & ob id forſan Ariſtoteli de igneo elemento occaſionem dedit, quartum elemẽtum eſſet: certè Spiritus & Mercurius, qui æthereæ ſubſtantiæ inprimis eſt, & æthereis corporibus viribus æquipollet, quinta eſſentia rectè diceretur.

LXXVII.

Sæpius tamen in ſeparatione quatuor ſe ſaltem offerunt, vt duo actiua principia, ſulphur & ſal, vel ſpiritus & ſal: & duo paſſiua elementa, aqua & terra, ſeu phlegma & caput mortuũ: vt nobiliſſimum & præſtantiſſimum, ęthereum ſcilicet ὑποῶδες ſeu ſubſtantificum, quarta potius eſſentia dicenda ſit: vt æther etiam quarta eſſentia eſt. *Quarta eſſentia.*

LXXVIII.

Tria autem ſe vulgo etiam & arti minus experto exhibẽt: vt in ſublimatione vini vietor capit Mercurium, ſpiritum ſcilicet, æthereum illud. ſecundò aqu, ãphlegma: tertiò terreũ, fæces & tartarum. Ita etiam mulierculæ in reſolutione lactis acquirunt oleaginoſam ſubſtantiam, butyrum: ſecundò aqueam, ſerum: tertiò terreſtreitatem, caſeum ſcilicet: vt opus creationis ſe vnitrinum etiam vulgò exhibeat. *Opus creationis vnitrinum.*

LXXIX.

Et Moſes ſub vnitate & vnico vocabulo Terræ, comprehendit totam materiam rei: in primo quidem capite Geneſeos, tria materialia elementa receptacula rerum, vt ſe exhibent in Macrocoſmo, & inferiorem mundum conſtituunt: ſicuti mox vnitatem reſoluit Moſes in ternarium, & ſe explicat his verbis; 1. Terra autem inanis erat, & 2. Spiritus mouebatur ſuper 3. Aquas. *Moſaicæ philoſophiæ* *Trinitas elementorum.*

LXXX.

In ſecundo verò capite cum inquit; Finxerat Deus hominem de humo ſeu terra, & de terra omnem beſtiam agri, & omnem volucrem cœli; intelligit Moſes & elementa & principia,

cipia, vt se coniunctim exhibent in microcosmo, seu in qualibet re composita.

LXXXI.

Cuius rei vel illud argumentum, quòd in 1. capite volatilia ex aqua ducit: in secundo capite ex terra. In primo scilicet capite intelligens elementa receptacula rerum, vnde sc. prodierint aues, & quo repositæ sint, ex aqua in aquam & aërem: Nam pars illarum aquis innatat: pars autem volat ante terrã in expãsione cœli, id est, in aëre. In secundo verò capite Moses per terram intelligit materiam ex qua, & quicquid sub terrena illa materia latet, reliqua scilicet elementa materialia & principia formalia: ex quibus, tum animalium, tum volatilium, tum hominis & omnium rerum compositio existit.

LXXXII.

*Trinitas principiorũ.*

*Sahab. Bdola. Schoham.*

Trium enim formalium principiorum iam antea meminerat Moses in secundo capite, nec saltem mineralia intelligit per Sahab, Bdola, & Schoham: sed principia rerum etiam notare puto, Mercurium, Sulphur & Sal. Aurum enim seu Sahab absolutissimus & perfectissimus Mercurius est. Bdola, Margarita est seu vnio, optimus & præstantissimus succus seu oleaginitas, Sulphur denotans. Schoham lapis concretus, crassioris inter principia, Salis concreti signaculum existit.

LXXXIII.

*Vnitas essentia.*

Vnitas verò formæ seu essentiæ in Macrocosmo & in elementis secundum Mosen, cælum est. In Microcosmo & rebus compositis, virtus seminificandi est: quam non de plantis solùm seu vegetabilibus, sed de metallis etiam & reliquis mineralibus intellexit diuinus vates. In animalium autem genere formalis illa facultas ab eodem dicitur ψυχὴ ζῶσα, anima viuens: vt vitalis facultas seu vita ad animalium genus saltem spectet, non ad vegetabilia: ex eo etiam, quòd vitalis facultas quæ in corde sedem habet, nunquam sine animali est.

quæ

quæ in cerebro ſedem habet: Naturalis autem ſeu vegetatiua quæ in animalium genere in hepate ſedem habet, etiam ſine vitali eſſe poteſt, vt in plantis certè accidit.

LXXXIV.

Et ſic Moſes conſtituit tres gradus formarum, ſecundum quos res omnes diſtinguuntur in tria ſumma genera: infimũ, ſupremum & medium: & quodlibet horum in ſuas quaſi ſpecies ſubdiuiditur. *Gradus formarum.*

LXXXV.

Primum genus infimorum complectitur res omnes, quæ vel in terra latent, vel ex terra ſe in ſuperficiem produnt, in ea tamen hærent & radices habent: vt ſunt, 1. Metalla. 2. Lapides, 3. Plantæ ſeu vegetabilia propriè dicta. Et his loco formæ competit virtus ſeminificandi ſeu vegetatio: & tertio die poſt abſolutionem & perfectionem elementorum à Deo creata ſunt. *Compoſita infima.*

LXXXVI.

Secundum genus ſupremorum eſt, cœleſtium ſcilicet: eorúmq; vel corporeorum, vt, 1. ſtellarum in æthere collocatarum & quarto die creatarum: vel incorporeorum & ſupernaturalium, vt 2. Angelorum, quorum eſſentia ſpiritualis, & ſpiritus ſunt, ab omnis materiei commixtione ſeparati, & æternitati deſtinati; Ideo extra tempus & ante principium ſex dierum creationis illos fuiſſe iudico. Quemadmodum 3. Meteora & ipſa corporea poſt ſeptem primos creationis dies modò prodiêre & generata ſunt, vt ex 2. cap. Geneſeos patet. Ideo ſecundæ creaturæ rectè dici poſſunt: vt antea Cometas ſecundas ſtellas diximus. *Suprema.*

LXXXVII.

Medium genus intermediorum eſt, quę ante ſuperficiem terræ, & ſuper terram vel in aqua, vel in aëre libero motu vagantur: vt ſunt, 1. Piſces. 2. Aues, ex aqua quinto die productæ. *Intermedia.*

ductæ. 3 Animalia terrestria sexto die creata; quorũ omnium forma essentialis est ψύχη ζῶσα.

## LXXXVIII.

*Homo.* Homo autem sexto die creatus, vt finis omnium, nõ simpliciter animam viuentem accepisse dicitur; sed ad imaginem Dei conditus esse; & per inspirationem spiritus vitæ seu spiraculi vitæ, factus dicitur in animum viuentem. Quo nomine aliquid præstantius supra visibiles omnes creaturas accepit, Angelicum aliquid, mentem scilicet & rationem, in vnitatem tamen essentiæ & vnam cum anima formam; vt vnius rei vna saltem sit forma essentialis, non plures.

## LXXXIX.

*Principia rerum constitutionis.* Et quod Moses pluribus inquit; Finxit Dominus Deus hominem, puluerem accipiens de terra, & inspirauit in faciẽ eius spiraculum vitæ: notat duo communissima constitutionis rerum principia, materiam & formam: Quæ diuus Paulus duobus etiam saltem verbis comprehendit, cùm inquit 1. Cor. 15. ἔστι σῶμα ψυχικὸν, est corpus animale: per ψυχικὸν vnitatẽ formæ denotans: per corpus autem, materiam: quam deinceps explicat, inquiẽs: Factus est primus homo ἐκ γῆς χοϊκὸς ex terra terrenus.

## XC.

*Simplicissima. Conclusio & recapitulatio doctrinæ de principiis. Simplicia.* Hac verò ratione cum Aristotele conciliabimur: Si materiam seu subiectum (τὸ πρῶτον δεκτικὸν τῆς ἀντιφάσεως) & duo ἀντικείμενα, formam scilicet & priuationem (quæ habilitas est in subiecto formæ recipiendæ) tria prima & simplicissima generationis rerum principia cum ipso statuamus: quod his priora & simpliciora non sint, ex quibus res omnes naturales primariò constituantur. Simplicia verò dicamus & elementa & principia, propriè sic dicta, & κατ' ἐξοχὴν, quod formalia & potiora sin, tvt illa materialia; ex quibus vtrisq; secundariò quasi & quàm proximè res omnes mixtæ componantur & con-

& consistant: Materiam quidem primam de remota omnes formarum vicissitudines sustinente, elementa verò passiua, de secunda & propinqua materia per se in mũdo subsistente, intelligentes: & loco ignis Aristotelici energeia aliqua actiua præditi, vel cœlum & ætherem summum agens, vel principia ætherea & actiua substituentes. *Materia prima.* *Secunda.*

XCI.

Homo igitur creaturarum omnium finis, propter quem omnia & cui subiecta omnia, à mundo elementali inferiore corpus habet: ab æthereo mundo animam; ab Angelico mentẽ, rationẽ & intellectũ; vt inter animalia solus sitrationis particeps. Quo nomine etiã omniũ creaturarum perfectissima; & hac ratione etiam verè microcosmus & paruus mundus esse dicitur; quòd quæ sint in toto & vniuerso, hæc in homine vno confluant quasi omnia. *Homo.* *Microcosmus.*

XCII.

Sic enim homo microcosmus ratione vnius formæ substãtialis omnium creatarum rerum terrestrium, cœlestium, & intermediarum, omnes tres gradus & facultates animæ habet: 1. Naturalem. 2. Vitalem seu animalem, & 3. Rationalem; & ratione cuiuslibet gradus tres iterum facultates seu δυνάμεις inferiores alias. *1. Ratione Formæ.*

XCIII.

Ratione vegetationis enim homo tres facultates habet; 1. Nutritiuam. 2. Augmentatiuam. 3. Generatiuam, quas inferiores vocant & corporeas, quod ad corpus sustentandum & conseruandum faciant, vt videlicet corpus mediante nutrimento, 1. nutriatur, & 2. augeatur, &, vt mediante semine 3. multiplicetur. *1. Naturalis facultas seu Vegetatiua.*

XCIV.

Ratione animæ vitalis etiam tres facultates sunt, 1. Sensitiua. 2. Phantastica. 3. Motiua. Hoc enim in loco processus fit ab exte- *2. Animalis & Vitalis perpetuò coniuncta,*

ab exterioribus & 1. ſenſibus ad interiora. Inde 2. ſenſus communis, memoria, voluntas, cupiditas, & exinde ab interioribus egreſſus, iterum ad exteriora: inde 3. motus localis.

XCV.

*3. Rationalis facultas vel intellectiua.*

Ratione ſpiritus ſeu mentis tres itidem hominis facultates ſunt: 1. διανοητικὴ. 2. λογιστικὴ. 3. ἐπιστημονικὴ. Seu Intellectus, Ratio, Mens. Hic. n. proceſſus fit ab interioribus. ab 1. intellectu pcipiente & patiente ad exteriora: inde ratiocinatio & 2: intellectus agens: & iterum reditus fit ab exterioribus ad interiora: inde ſcientia & 3. mens ſimplex ſeu ἁπαθὴς.

XCVI.

*2. Ratione corporis & materiæ.*

Eodem modo in animalibus ratione corporis ſe offerunt tria genera: ex quibus omnes partes corporis & 1. ſolidæ, & 2. carnoſæ, & 3. ſpirituoſæ, partim conſtant, partim nutriuntur & conſeruantur.

XCVII.

*1. Radicalia*

Primum genus radicalium eſt & Balſami quaſi animalis: & hoc triplex: 1. Radicale ſolidius & ſpiſſius ex principio Salis animalis: 2. Radicale humidum ſeu humidũ primigenium, ex principio Sulphuris animalis: 3. Radicale ſpirituoſum, ſeu ſpiritus ingeniti, ex principio Mercurii animalis. Spirituum verò tres ſunt: 1. Naturalis in hepate: 2. Vitalis in corde: 3. Animalis in cerebro, vnus alterum ſequens & ex altero generatus: Et hæc omnia ætherea ſunt, vt etiam ætherea corpora ex principiis ſunt: & in his etiam calor natiuus, qui & ipſe æthereus eſt, & ὑποστάσης quaſi conſiſtit & fundatur.

*Spiritus tres.*

*Calor natiuus.*

XCVIII.

*2. Elementata.*

Alterum genus elementatorũ, & hoc triplex: 1. Terreum ſiccum in ſolidis maximè partibus, oſſibus conſpicuum, fulcrum exiſtit corporis: 2. Humidum aqueum, quo tanquam viſco terreæ corporum partes iunctæ cohærent, glutinum corporis eſt & vehiculum: 3. Aëreum tenue, cuius ratione

fit,

ſit, vt viuentia mortuis leuiora ſunt & agiliora, ventilabrum corporis eſt.

## XCIX.

Tertium genus humorum in corpore vtilium eſt, à quibus ſupra dicta omnia nutrimentum accipiunt & cõſeruantur. Et hi triplices exiſtunt, gradibus à ſe inuicem differentes ratione perfectionis & imperfectionis, vt tres ſpiritus etiam. Primus humor chylus eſt, in ventriculo & vicinis venis fit: inde prima concoctio & primum rudimentum nutrimenti. 2. Chymus ſuccus vel ſanguis, qui in hepate & corde & venis fit: inde altera concoctio perfectior adhuc. Tertius propriè dictus humor alimentarius, in habitu totius corporis fit: inde tertia concoctio perfectiſſima, aſſimilatio ſcilicet & conuerſio nutrimenti in nutritum.

*3. Mixta ex elementis & principijs.*

*Sanguis.*

*Humor alimentarius.*

## C.

Semen genitale verò vltimum & vtiliſſimum poſt nutritionem in habitu totius corporis relictum, contraria via procedit. Hoc enim primum rudimentum in habitu totius corporis accipit, à partibus ſcilicet ſolidis ſeu ſpermaticis (à ſpermate enim partes ſolidę ortum habent) in venis deinde concoquitur, & abſolutius redditur, vſque dum in vaſis ſpermaticis vltimam perfectionem conſequatur. Ab habitu igitur totius corporis defluit, vt alimentum in habitum totius corporis conuertitur.

*Semen genitale ſeu ſperma.*

## CI.

Deinde vt in humore alimẽtario multùm elementorum & parùm radicalium eſt, & aliena facultate partium ſcilicet nutriendarum efficitur, vt quòd poteſtate eſt nutritum, actu fiat nutritum: ita vice verſa in ſemine genitali multum radicalium ineſt & calidi etiam, parùm vero elementorum: & propria facultate ſeminis efficitur: vt quod poteſtate eſt corpus animatum, actu fiat animatum, & ex affluente nutri-

mento ſanguinis materni in vtero augmentum accipiat, vſq; ad vltimam perfectionem, & ad partum vſque.

CII.

Præter hos vtiles autem & tùm ad indiuiduorum, tùm ſpecierum conſeruationem neceſſarios humores, alij ſe offerũt tres accidentales quaſi & excrementitij humores, nõ omninò tamen inutiles. 1. Pituita frigida & humida. 2. Atra bilis ſeu melancholicus humor frigidus & ſiccus. 3. Bilis flaua, caliditſima & ſicciſſima, ea præſertim, quæ in folliculo fellis ſedem habet. Et ab hac calidum accidentale in microcoſmo originem ducit, & ſe habet inſtar ignis accidentalis magni mundi. Ideo calor hic non ab elementis eſt, vt quidam elementarem dixerunt, multo minus æthereus eſt, ſed accidentalis potius dicendus erit, igneus & corrumpens, vt calor natiuus proprius eſt ſubſtantialis, & corpus conſeruat.

*Humores tres.*

*Calor & ignis accidentalis*

CIII.

Et hęc omnia ita ſe habere, vel excrementa illa prorſus inutilia & naturæ onerosa teſtimonium exhibent: elementorum ſcilicet. 1. terrea fœculenta. 2. aquea ſerosa. 3. aërea flatuosa: Principiorum, 1. ſalſa. 2. ſulphurea. 3. ſpirituoſa: Humorum vtilium, 1. cruda chyloſa. 2. ſanguinea. 3. ſpermatica. Accidentalium verò. 1. Melancholica atra. 2. pituitoſa phlegmatica. 3. bilioſa flaua.

*Excremẽta.*

CIIII.

Inde morborum iam & medicamentorum, ſecundum Galenum & Hippocratem ampliſſimus campus patet. Et Medici illi, quibus ſaltem elementa cognita ſunt (nec tamen in iuſto numero) omnia ex qualitatibus primis, ſecundis, tertiis, & ex materia æſtimarunt, tam morbos, quàm medicamenta ipſa. Quorum autem ex his rationem reddere non poterant; occultæ proprietati & toti ſubſtantiæ aſcribebant. Quam tamen cùm explicare non poterant, ad quatuor

*Galenus & Hippocrates*

*Morbi elementales.*

*A tota ſubſtantia.*

quatuor Elementorum commixtionem & crasin iterum confugerunt, vt Galenus & eius assecla.

CV.

Fernelius tamen nostro tempore accuratius de his rebus philosophatus, & morbos illos à substantia altius quidem rimatus est, ex abditis scilicet causis: quarum tamen cum rationes nesciuerit, nec in venerit prorsus, & ipse in media quasi via substitit, nec explicare satis illos morbos potuit. *Fernelius Ambianus Gallus*

CVI.

Inter hos quidem refert pestilentes morbos, Epidemicos, contagiosos, venenatos &c. Alios verò trans naturam vocat ab incantationibus scilicet, veneficijs & alijs huiusmodi rebus supernaturalibus quasi: quos nos Spirituales dicere possumus: vt illos æthereos. *Morbi Ætherei. Spirituales*

CVII.

Plurimos enim illorum Æthereos esse, & ab influentia cœlesti originem ducere, vel illud argumento est, quod his plerumque aliquid singulare, præter morem, (τὸ ἴδιος Medici vocant) aliorum morborum insit. *Morbi Ætherei*

CVIII.

Ad quos spectant etiam illi ætherei morbi, qui singularibus personis ex singulari influentia accidunt, ratione constitutionis cœli, qua quis natus vel in lucem editus est: & suo se tempore produnt, vt occursus maleficorum Planetarum seu ἀναιρετῶν ad loca cœli & Planetarum Aphetica fiunt: quod sanè tempus per Directiones, quas vocant Astrologi, se patefacit. *Astrologicæ*

CVIIII.

Et doctrinam illam directionum, præcipuum in Astrologia fundamentum, vel exemplum illud regis Ezechiæ ex sacra Scriptura confirmat, 4. Reg. 20. quod quantum vis diuinum & supernaturale, secundum naturalem tamen modum *Directionũ doctrina.*

&vt rebus cœleſtibus conueniret, datũ fuit: cum in pleriſque directionibus Aſcendentis alteriusve Aphetę ad Anæretam decem gradibus vel lineis Æquatoris reſpondeant exactè quindecim gradus zodiaci: quorum ſingulis ſingulos annos congruere, non ſolum Arabes & Græci Aſtrologi prodiderunt: ſed in pleriſque idipſum experientia ipſa confirmat.

CX.

*Dies Critici* Et huc ſpectat etiam dierum criticorum ratio, ex motu Lunæ in ſe in zodiaco conſiderato pendens: ſecundum quẽ Luna ſeptimo die peruenit ad quadratum locum: decimo quarto ad oppoſitum, vigeſimo verò die (& non 21.) ad quadratum alterum: & vigeſimo ſeptimo die ad initium recurrit (non 28) vt ſic abſoluat Luna curſum ſuum viginti ſeptem diebus & paucis horis: ſecundum quos dies & aſpectus motus eius exactè diebus Criticis reſpondet. Quod Galenus, vt alia multa difficilia, ex Aſtrorũ motibus in morborum tum generationibus tum mutationibus obſeruatu digna, vel neſciuit prorſus, vel ſciens ignorare voluit: vt omnium rerũ rationes facili modo ex diſpoſitione Materiæ ſaltem & craſi Elementorum redderet.

*Galenus*

CXI.

Sed vltra hæc aliquid amplius eſſe, & reſpectu illius ego Hippocratem dixiſſe iudico: Diuini aliquid in morbis ineſſe & illud Diuinum, τὸ θεῖον Medico inprimis obſeruandum eſſe. Et ipſe inſuper animaduertens inſignes differentias Saporum admiſtas eſſe rebus, nec ex craſi Elementorum eas eſſe: ipſe dulci, acido, acerbo, amaro &c. ortus morborum aſcripſit, & abſolui curationes etiam dixit: qua ſanè in re ad veritatem propius acceſſit, non tamen omninò ſcopum aſſecutus eſt.

*τὸ θεῖον diuinũ quiddam in morbis.*

*Hipocrates in libello de Veteri Medicina.*

CXII.

*Theophraſtus Paracelſus* Theophraſtus verò Paracelſus ille, artis Chimicæ inſigniter peritus, huius ope invenit, Sapores hos inſignes, & quicquid

quid qualitatum, facultatum & actionum rebus inest, ratione principiorum Salis Sulphuris & Mercurij inesse: Ideo ab his Morborum suorum ortus, & Medicamentorum & curationis indicationes sumpsit.

## CXIII.

Maioris etiam Mundi tanquam Parentis dispositionem Homini ceu Microcosmo accommodat. Et cum Homo ratione formæ substantificæ in se habeat omnes tres gradus & facultates Animæ: ratione corporis verò & Radicalia & Elementata & Accidentalia (de quibus supra) Ideo omnium rerum semina in Homine inesse asserit, Astrorum, Meteororum, Metallorum, Mineralium, Vegetabilium, Animalium, & Spirituum etiam seu Dæmonum, rationes Mentis scilicet seu Spiritus Hominis.

*Macrocosmus.*
*Microcosmus.*

## CXIIII.

Alicubi verò ad quinque summa genera reuocat morbos secundum quinque genera Entium. Quorum primum est Ens Dei seu Deale: secundum Ens Astrale seu æthereum: tertium venenale: quartum naturale seu elementale:: quintum Ens Magicum seu Dæmonum & Spirituum: quorum Entium singula corpus nostrum, Animam & Spiritum varijs modis affligere possunt & labefactare.

*Quinq; genera Entiũ.*
*Metaphysica.*

## CXV.

Et vt vltimum hoc saltem sumam, prioribus relictis: Quosdam Dæmoniacos fieri & malis Spiritibus agitari, & corpus illorum iam Spiritu Satanæ informari quasi, nec à Sacra Scriptura, nec à ratione alienum: cum Apostolus Iacobus Hominis Scientiam omnem & Sapientiam, vt eam post lapsum à natura habet & acquirit, 1. ἐπίγειον vocet, 2. ψυχικὴν κὴ, 3. δαιμονιώδη, Terrenam, Animalem & dæmoniacam; Sapientiam autem illam quæ desuper est, τὴν ἄνωθεν σοφίαν vocat.

*Ens Dæmoniacum.*
*Nota tria Corpus Animam & Spiritum seu Dæmonem.*

CXVI.

CXVI.

1. χθόνιοι *Terreni*

Et in Mundo certè triplex ſe genus hominum manifeſtò aperit. Primum enim Filiorum terræ exiſtit; hi ſunt, qui inferioribus Elementis mancipati, ſaltem quærunt quæ terrena ſunt & huius Mundi, vt bona, diuitias honores, voluptates &c. quibus omnibus involutantur vt porcus in luto. Et hi terrenis ita demerguntur, vt illis tranſitus facilis ſit, & tandẽ fiat à terra ad orcum, à Mundo Elementari ad Mundum Infernalem.

CXVII.

2. ψυχικοὶ *Animales*

Alij Filij ætheris ſeu cæli dicuntur: hi ſunt, qui ex diſciplina & ſtudijs manſuetiores & humaniores redditi, altiora quærunt, & cogitationibus ſuis ad æthera volant; vt rerum cauſas cognoſcere queant. Et hi opera Dei admirantur, & ex creatis Creatorem cognoſcere ſtudent, ex viſibilibus inuiſibilia. Et primus iſte gradus cognitionis Dei eſt, imperfectus tamen adhuc.

*1. Gradus Cognitionis Dei.*

CXVIII.

3. πνευματικοὶ *Spirituales*

Tertium genus hominum eſt Filiorum Dei, qui in regeneratione per Fidem iã Sipiritus Sancti participes facti, quęrunt quæ ſupra nos ſunt, mundana hæc contemnentes; Et Deum ipſum Archetypum Mundum hi cognoſcunt, & in ſpe & fide intuentur. Et iſte ſecundus gradus cognitionis Dei eſt perfectus ad Salutem.

*2. gradus cognitionis Dei*

CXVIIII.

Hinc iam Homo Chriſtianus ex tribus hypoſtaſibus & eſſentialibus partibus conſtat, Corpore, Anima & Spiritu vt Hermes etiam cognouit. Et ſic Mens hominis Chriſtiani nouam formam accipit, & Spiritu Dei informatur quaſi; ratione cuius non amplius ψυχικὸς Animalis homo dicitur; ſed Spiritualis πνευματικὸς (à potiori enim fit denominatio) interanus homo, noua Creatura. Et ſic Trinitatem in Vnitate gra-

*Homo Chriſtianus.*

phic è ex

phicè exprimit homo, & significantius, quàm creatarum rerum alia vlla; & quę in primo homine Adam amiserat: per secundum Adamum Christum θεάνθρωπον acquirit iterum & multò maiora etiam.

CXX.

Propter simplicem quidem Mentem Hominis Anima immortalis existit, quæ alioquin in reliquis animalibus mortalis est, dum per Mortem Animæ discessus à corpore fit, & corporis in Elementa & Principia resolutio: quo nomine Malorum Animæ etiam immortales existunt, & cum malis Spiritibus pænæ æternæ & damnationi reseruantur. *Anima immortalitas*

CXXI.

Propter Spiritum Sanctum autem, cuius Homo Christianus iam per fidem particeps factus, non solum Anima immortalis, vt in separatione eius à corpore cum Spiritu maneat: sed propter Spiritum in nouissimo die etiam corpus excitabitur: & propter Spiritum corpus etiam erit spirituale πνευματικὸν, quod seminatum (in terrã scilicet) animale, ψυχικὸν vt 1. Cor. 15. habetur. *Corporum resurrectio. Rom. 8.*

CXXII.

Et sic Creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ Filiorum Dei, vt Paulus inquit Rom. 8. in die iudicij extremi & perditionis impiorum: quando reliquorum omnium & totius vniuersi solutio erit & annihilatio per ignem: vt Petrus testatur 3. cap. 2. epistolæ.

CXXIII.

Et iste finis etiam Hominis creati statim ab initio fuit: & primus Adam ex terra terrenus & typicus ad Imaginem Dei (quæ Christus est expressa scilicet imago & Character substantiæ eius) creatus: vt imaginem hanc suam secundus ille Adam de cœlo cœlestis, in nobis efformaret & perficeret. Vt sicut imaginem Terreni gessimus: sic imaginem cœlestis geramus *G. Nasianz. Mysterij creationis Hominis est, vt diuinitatẽ assumat.*

*Vita & beatitudo aterna.* geramus, & Archetypum de facie ad faciem intueamur: quando Deus erit omnia in omnibus suis fidelibus & electis.

*III. gradus cognitionis* Et iste nunc tertius & absolutissimus gradus est cognitionis Dei, & vltimus rerum scopus & finis.

CXXIIII.

*Conclusio.* Et hæc de opere Dei primo Creationis scilicet, Philosophiæ studiosis proposuisse & breuiter percurrisse sufficiat. Quæ verò spectant ad alterum opus, Regenerationem scilicet, quod hic vix attigi, & quid Regnum Dei sit, nouumque cœlum & noua terra, in quibus Iustitia inhabitat, & omnes Electos iuxta promissum Dei manet: hæc Theologis perpendenda & examinanda relinquimus.

FINIS THESIVM.

APPEN-

APPENDIX.

# AD INTELLIGENDVM PROPOSITIONES DE SYSTEMATE MVNDI TVM

Physicas tum Astronomicas intermedias à XXIIII. ad LVI. vsque.

## PTOLOMÆI ET VETERVM Philosophorum de Systemate Mundi Hypotheses.

TERRAM *centrum vniuersale Mundi esse in medio positam.*

2. *Terram centrum etiam prope verum esse omnium orbium planetarum.*

3. *Terram immobilem esse.*

4. *Sphæram octauam cum omnibus Sphæris Planetarum mobilem esse.*

5. *Planetas autem certis orbibus moueri, ijsque eccentricis & epicyclis.*

### CONSEQVENTIÆ.

1. *Penetrationem dimensionum seu orbium cœlestium fieri, contra physica principia.*

2 *Visibilem adparentiam Planetarum non respondere magnitudini orbium Planetarum, contra optica principia.*

3 *Calculum Planetarum non respōdere cum obseruationibus Astronomicis contra Mathematica principia.*

*Vide Petrũ Ramum in pamio Astronomico.*

Eudoxum Cnidium primum apud veteres hypotheses & orbes, eosque concentricos ad saluandũ planetarum motus reperisse, & in Astronomiam introduxisse, inuenimus. Cum autem concentrici phænomenis planetarum satisfacere nõ possent: Pythagorei deinceps ijs explosis Eccentricos & epicyclos attulerunt, quos Ptolomæus quasi per manus accepit & approbauit, & hypotheses suas Astronomicas inde extruxit, & consequentias exinde deduxit. Cum vero consequentiæ illæ falsæ sint & impingant in artium principia, necesse est, hypothesium aut omnes aut quasdam falsas esse & non sufficientes: Nam falsum non sequitur ex vero. Consequentiarum autem falsitas se manifestè prodit in Sphæra Martis: Cui si secundum Ptolomæi hypotheses Epicyclus detur, nunquam ille tantus dari potest, vt visibilis eius adparentia respondeat magnitudini eius sine penetratione orbium: accedente, quod nec calculus Ptolomæi respondeat cum obseruationibus Astronomicis. Quod cum animaduertisset nostro tẽpore Copernicus, alias introduxit hypotheses, diuersas omninò & contrarias | ferè Ptolomæi hypothesibus: ex quibus cum inde cõsequentias veriores sequi accepisset, Hypotheses etiam pro veris habuit.

## NICOLAI COPERNICI
### Hypotheses.

1. *Solem centrum vniuersale Mundi esse in medio positum. Terræ etiam.*
2. *Terram solummodo Centrum orbis Lunæ esse.*
3. *Solem immobilem esse.*
4. *Terram in aere non minus ac Planetam in orbe suo mobilem esse.*
5. *Sphæram octauam immobilem esse.*
6. *Planetas autem & Terram certis orbibus moueri. Inde sequitur.*

CONSE-

## CONSEQVENTIÆ.

1. *Nullam quidem orbium Planetarum penetrationem fieri, secũdum physica principia: Sed interim ingens spacium esse & immensum stellis vacuum, inter octauam & Saturni Sphæram, quod non videtur physicis principiis consentaneum.*
2. *Visibilem adparẽtiam Planetarum respondere magnitudini orbium Planetarum, secundum optica principia.*
3. *Calculum Planetarum respondere quàm proximè cum obseruationibus Astronomicis secundum Mathematica principia.*

CVm ergo consequentiæ maiori ex parte veræ sint: hypothesium tamen quædam manifestè falsæ, contra experientiam, rationem physicam & cõtra sacram scripturam. Sequitur inde, consequentias veras non necessariò sequi ex præmissis, sed contingere saltem sic sequi. Nam verum etiam ex falsis sequitur, non necessariò sed cõtingenter. Item cum secundũ Copernici hypotheses terra inæqualem distantiam habeat à stellis fixis: nulla tamen parallaxis sit vel diuersitas aspectus stellarum fixarum ad terram, necesse erit immensum spacium ponere inter stellas fixas & Sphæram Saturni, & tantum quod omnem proportionem visus excedat. Hæc autem cum nec rationi nec physicæ consentanea sint, & nihil frustra cõditum sit, nullum etiam in natura vacuum spacium admittatur: ideo non credibile est, tantum spacium esse inter Sphæram Saturni & stellarum fixarum. Quare aliæ etiam hypotheses constituendæ erunt de Systemate mundi, & alias etiam introduxit Nicolaus Raymarus, quæ sequũtur.

## NICOLAI RAYMARI VRSI DIETMARSI III. HYPOTHESES.

1. *Terram centrum vniuersale mundi esse in medio positam.*
2. *Terram etiam centrum motus Solis & Lunæ esse prope verum.*
3. *Solem centrum motus quinque reliquorum Planetarum esse prope verum.*
4. *Terram mobilem esse.*

5. *Stellas fixas immobiles esse.*
7. *Planetas autem & stellas non orbibus affixas, sed in aere vel cõsistere, vel vt aues, certo tamen modo vagari. Inde sequitur.*

## CONSEQVENTIÆ.

1. *Nullam quidem orbium Planetarum penetrationem fieri, cum illi nulli orbes sint: sed interim contractũ adeo & angustum spacium trium superiorum Planetarum esse, vt alter in alterius locum aliquando succedat, quod non videtur Physicæ consentaneum.*
2. *Visibilem adparentiam Planetarum, vtcunq; respondere distantiæ Planetarum secundum optica principia.*
3. *Calculum Planetarum respondere quàm proximè cum obseruationibus Astronomicis, secundum Mathematica principia.*

CVM ergo hypothesium quædam non minus falsæ sint, quàm Copernici hypotheses, contra physicas rationes & contra sacram scripturam: sequitur quicquid veri est in consequentiis, illud non necessariò sequi ex præmissis: sed contingere saltem sic sequi. Vt autem hypothesibus falsis fucum faceret, fingit axioma hoc physicum.

1. *Vnius scil. corporis vnicum saltem simplicem motum esse, & nullum per accidens: contra Aristotelicum Axioma. Inde sequuntur necessario:*
2. *Terram esse mobilem.*
3. *Stellas fixas esse immobiles. Item*
4. *Aerem inferiorem & crassiorem, mobiliorem superiori & rariori.*
5. *Grauia tendere deorsum, non propter grauitatem: sed magnetica quadam vi.*
6. *Nullam ætheream regionem esse.*
7. *Aerem etiam extendi per illam regionem. Et*
8. *In infinitum extendi aerem, etiam supra firmamentum: adeo*
9. *Vt nulla in quantitate proportio aeris sit ad reliqua duo elementa, Aquam*

*ta Aquam & Terram ( nam ignem etiam nobiſcum negat.)*

10. *Et ſic ſtellas in aere vagari, non orbibus affixas eſſe, nec cum orbibus moueri, vt ſic nulla penetratio orbium fieri poſsit. Et has omnes conſequentias manifeſtò ponit, & infert ex primo poſito Axiomate. Ex quibus quis inferre amplius poſſet. Nempe*

11. *Infinitum in rerum natura eſſe.*

12. *Opus creationis viſibile non eſſe concluſum extremo cœlo.*

13. *Cœlum nullis non mutationibus eſſe obnoxium* : & plures propoſitiones omnes contra Phyſicam & ſacram ſcripturam, conſequentes ſe invicem ex primo dato Axiomate : vnius corporis vnicum ſaltem per ſe motum eſſe, & nullum per accidens. Hac enim ratione primum mobile non raperet ſecum alias Sphæras inferiores, vt ſtatuit etiam. Ideo neceſſe foret Terræ dare motum diurnum primi mobilis : & ſtellas fixas immobiles eſſe. Et hanc hypotheſin, quamuis primariam, & fundamentum totius negocij, Raymarus vltimo loco ponit. Quomodo verò ſibi conſtet, in præcedente pagina libelli ſui prodidit : vbi Planetis duplicem motum tribuit, vnum proprium & alium accidentalem ex motu Solis. Sic obliuiſcitur ſui ipſius, & ſe iugulat proprio gladio, & refellit ipſe ſuum Axioma pſeudophyſicum. Quare ſequitur etiam conſequentias reliquas omnes ex iſto falſo Axiomate pendentes, falſas eſſe : præcipue hanc, ſtellas ſcilicet fixas immobiles eſſe. Nam ſicuti ille Planetis accidentalem motum tribuit ex motu Solis : eadem ratione omnibus Sphæris Planetarum dare poſſumus accidentalem etiam motum, ex motu ſtellarum fixarum vel octauæ Sphæræ. Cum ergo tot abſurda ſequantur ex ipſius poſito Axiomate : ſequitur inde illud falſum eſſe : Ariſtotelicum verò Axioma verum eſſe & conſtans : vnius ſcilicet corporis phyſici vnicum motum per ſe eſſe, & plures per accidens eſſe poſſe.

Ad hæc

I. *Ratio.* Ad hæc cum veritati physicæ consentaneum sit, nullum trium superiorum Planetarum in alterius Planetæ locũ succedere, sed quemlibet proprium spacium in cœlo, vt regem in regno suo obtinere: Sequitur inde Raymarum Vrsum nimis contractum & angustum spacium tribus superioribus Planetis dare: Et systema mundi ex falsis ipsius hypothesibus extructum, non verum esse. Et hæc falsitas hypothesium superiorum temporum fecit, vt Petrus Ramus omnem hypothesium rationem & positionem in Astronomicis exploderet. Verùm cum in omnibus artibus hypotheses certas esse necesse sit, ex quibus deinde consequentiæ & conclusiones & reliqua omnia, quæ ad artem spectant, deducantur, vt ipsemet Ramus fatetur, & ex Proclo infert. Ideo in astronomicis etiã eò magis de hypothesibus veris solliciti esse debemus: & ob illusiones eiusmodi non ab arte deterreri. Nam illudere & castigare falsa, cuiuis etiam Grammatico obuiam est: vera autem inuenire & demonstrare, hoc opus, hic labor est. Quare ego de aliis hypothesibus non frustra sollicitus: has tandem diuina gratia inueni & dare volui.

IIII. HELISÆI RÖSLIN MEDICI HYPOTHESES CONVENIENTES CVM PTOLOMÆI hypothesibus, excepta vnica, tertia scilicet.

1. *Terram centrum vniuersale mundi esse in medio positam.*
2. *Terram centrum etiam prope verum orbium Solis & Lunæ esse.*
3. *Solem centrum prope verum esse orbium reliquorum quinque Planetarum.*
4. *Terram immobilem esse.*
5. *Sphæram octauam cum omnibus Sphæris Planetarum motu diurno mobilem esse.*
6. *Planetas certis orbibus moueri, iisq; eccentricis. Inde sequitur.*

CONSEQVENTIÆ EÆDEM FERE CVM Copernici consequentiis.

I. *Nullam*

1. *Nullam non modo orbium Planetarum penetrationem fieri: Sed nec nimis amplum & vacuum stellis spacium, nec nimis contractum & angustum esse, vt alter Planetarũ alterius locum ingredi possit, secundum physica principia.*
2. *Visibilem adparentiam Planetarum respondere exactè magnitudini orbium Planetarum, secundum optica principia.*
3. *Calculum respondere quàm proximè cum obseruationibus Astronomicis, secundum Mathematica principia.*

CVM ergo præmissarũ hypothesiũ nulla sit cõtra physica principia, cõtra rationẽ & experientiã, nulla cõtra sacrã scripturã: sed veritati correspõdentes omnes. Consequẽtiarũ item omnes sint veræ, nec vlla impingat in artium principia. Sequitur inde consequentias has veras necessariò sequi ex veris præmissis (nam ex veris tantum sequitur verum) & hypotheses alias veras dari non posse; & sic nos ad vnum definitum verum peruenisse. Et sequitur etiam, Systema mundi ex his veris hypothesibus extructum, verum esse & vnum, & nullum aliud esse, nec vllum aliud dari posse, nisi hoc vnicum ex superioribus hypothesibus extructum.

Cum in his de Systemate mundi essem cogitationibus, & thesibus præmissis iam meam comprehendissem sentẽtiam: oblatus est mihi libellus Tychonis Brahe nobilis Dani; & excellentissimi Astronomi, de Cometa, Anni 1577. In quo etiam nouum Systema mundi infert ex hypothesibus conuenientibus ferè cum meis: vt sequitur.

## TYCHONIS BRAHE NOBILIS DANI ET v. Astronomi excellentissimi, Hypotheses.

1. *Terram centrum vniuersale mundi esse in medio positam.*
2. *Terram centrum motus Solis & Lunæ esse prope verum.*
3. *Solem centrum motus quinque reliquorum Planetarum esse prope verum.*
4. *Terram immobilem esse.*

5. *Stellas fixas & Planetas motu diurno mobiles esse.*

6. *Planetas autem nec orbibus moueri, nec in aere vagari: Sed in liquidissimo & simplicissimo, iuxta diuinitus inditam scientiam circumuolui. Hinc infert.*

## CONSEQVENTIÆ.

1. *Nullam quidem orbium Planetarum penetrationem fieri, cum nulli orbes illi sint: sed interim tamen contractum & angustum adeo spacium tribus superioribus Planetis dat, vt alter alterius locum aliquãdo ingrediatur, quod non videtur physicæ consentaneum.*

2. *Visibilem adparentiam Planetarum vtcunq; respondere cum obseruationibus Planetarum, secundum optica principia.*

3. *Calculum Planetarum exactè respondere faciet ille cum obseruationibus Astronomicis, secundum Mathematica principia.*

HÆc ita curiosè certis suis hypothesibus & consequentiis deducere volui: vt diuersitas sententiarum etiam in minimis verbis deprehendi possit. Mirum sane est meã sententiam cum Thychonis Brahe adeo exactè cõuenire, vt saltem in vnica hypothesi discrepemus, qua negat ille, stellas orbibus moueri: sed certa potius sibi indita scientia circumuolui. Vtut verò in hac etiam hypothesi Thychonis maximè accedam sententiæ: in consequentiis tamen adhuc ea parte suspendor, qua nimis angustum spacium tribus superioribus Planetis, non minus, vt Raymarus Vrsus cõcedit. Quod non videtur physicæ consentaneum, vt vel motu primi mobilis super cẽtro mundi, vel motu proprio super centro Sole, Planeta alterius spacium aliquando ingrediatur & occupet, vt videlic. Saturnus & Iupiter cũ sunt acronychi & terræ proximi, propiores sint terræ quàm Mars, cum est à terra remotissimus.

2. Ratio. Ad supra positam etiã rationem accedit altera hęc, quod diuersitas aspectus, seu visibilis adparentia, quæ fit per oculos (nam

(nam instrumenta eo vsq; non attingunt) non vsq; adeo conueniat, ac si secundum meas hypotheses amplius spacium illis detur. Mars quidem cum terris est proximus, maximus adparet: cum remotus, minimus. Saturnus autem terris proximus, magnus quidem est; remotior, paruus, non autem adeo magnam diuersitatem aspectus recipit, nec adeo magnus & paruus est, ac foret, si terris aliquãdo propior fieret, quàm Mars. Ideo consentaneum est, & Iouem & Saturnum altius spacium occupasse, quàm Mars etiam remotissimus à terra vel attingere vel transcendere possit.

Tertiò, cum opus creationis Dei clausum & finitum sit extremo cœlo stellarum fixarum: iudico ego Deum creatorem Sphæras vel loca Planetarum vsque ad stellas fixas ita distribuisse, & tantum spacium cuilibet Planetarum dedisse, vt finis etiam certus sciri possit. Sed nulla alia distributione Sphærarum finis certis rationibus constans sciri potest: quàm secundum meum Systema mundi: siue enim amplius spacium des, vt Copernicus, siue contractius quàm ego, vt Raymarus & Thycho: incertum erit spacium à Sphæra Solis vel Martis, ad octauam vsque stellarum fixarum. Nam eadem ratione & facilitate alius vel magis amplum vel magis contractum dare poterit. Sed meum Systema extructum est & fundatum suis certis rationibus, desumptis simul ex motu Solis & motu vniuersali primi mobilis, vt respectu amborum motuum nullus Planetarum alterius locum ingrediatur: nec etiam vacuum stellis spacium concedatur. Ergo meum Systema magis probabile esse videtur, & physicis principiis magis consentaneum, quam Thychonis Brahe Systema, vt maxime illi concedam, Planetas non orbibus moueri, sed quadam diuinitus sibi indita scientia. 3. Ratio

Vtranq; tamen sententiã doctis perpendendã & examinandã relinquo. Maximè autẽ illorũ super has Theses meas audire cupio iudiciũ, & subire censurã, quorũ in præfatione mẽtio facta: inprimis verò Thychonis Brahe, vt ea libertate

 & can-

& candore, quo in libello de Cometa Anni 1577. erga me fuit, etiam has meas theses examinet, easq; confirmet, ea scil. parte, qua veræ sunt, & correspondent, reprehendat verò & castiget, qua parte falsas esse putet. Ab doctis enim istis & similibus reprehendi cupio & erudiri: nõ à semidoctis coquis istis: quorum

*Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem*
*Testa diu capitis, &c.*

Et in olla illa relollaceas saltem elementorum qualitates coquunt: & lolio nihili simul & mandragorâ mixtam crambem recoquunt, & bis coctam ad vomitum vsq; & ipsi vorãt, & nauseantibus aliis hoc dare semper volunt & obtrudunt: vt & alii cum ipsis inscitiæ nebulis somnoq; inuoluantur & excæcentur, ac cæci cæcorum duces in foueam cadant ambo. Sed tempus tantum erit ab acedia illa & veterno resurgẽdi, ac discussis nebulis densissimis lucem recipiendi & Solem videndi: vt scientiæ claritate illuminati, pseudophilosophorum fucum & inanem deceptionem deprehendere queamus, & veritatem in philosophicis non minus ac in sacris assequi valeamus. Quod vt fiat, faxit is, qui ipsa veritas est & lux, & solus potens depellere fraudes & tenebras, DEVS IEHOVA per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM in SPIRITV SANCTO illuminatore Amen.

SYSTEMA

SYSTEMA MVNDI SECVNDVM PTOLOMÆI ET VE- I.
terum Philosophorum Hypotheses.



SYSTEMA MVNDI SECVNDVM NICOLAI COPERNICI II.
Hypotheses.

SYSTEMA MVNDI SECVNDVM RAYmari Vrsi Dictmarsi hypotheses. III.

SYSTEMA MVNDI SECVNDVM HELISÆI Roslin Medici hypotheses. IV.



SYSTEMA MVNDI SECVNDVM THYCHONIS BRAHE Nobilis Dani Hypotheses.

*Hunc in locum illam quæ secunda fuit, figuram referendam esse, hancq; secundæ loco ponendam, lector humanus meminerit, erroriq; condonet.* V.



IIII. SYSTEMA MVNDI SECVNDVM HELISÆI ROSLIN MEDICI HYPOTHESES in maiori forma.




IIII. SYSTEMA MVNDI SECVNDVM HE-
RACLIDEM PONTICVM, ET HERONTEM
ALEXANDRINVM.

# DE OPERE DEI CREATIONIS SEV DE MVNDO.

Hypotheses

*ORTHODOXÆ QVANtumuis Paradoxæ: continentes summa summarum artium principia, Physices, Chymiæ, Medicinæ, Astronomiæ, Astrologiæ, Metaphysices: nec non præcipua fundamenta Philosophiæ & veteris & nouæ.*

*AVCTORE*

HELISÆO RÖSLIN MEDICO
& Physico Haganoæ Alsatiæ.

FRANCOFVRTI,
*Apud hæredes Andreæ Wecheli, Claudium Marnium, & Joannem Aubrium.*
M. D. XCVII.